



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCXIV. ad annum CCCXLVI.

Parisiis, 1644

IX. De his qui in virginitate continentiaque persistunt.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15072

ANNO
CHRISTI
....

VIII.

Si quis dederit vel acceperit fructuum oblationes, extra episcopum, vel eum qui constitutus est ab eo ad dispensandam misericordiam pauperibus; qui dat, & qui accipit, anathema sit.

IX.

Si quis vel virginitatem, vel continentiam professus, tamquam abominabiles nuptias iudicat, & non propter hoc solum, quod continentiae & virginitatis bonum sit sanctumque propositum, anathema sit.

Dist. 30. Si quis vel virg.

X.

Si quis propter Deum virginitatem professus, in coniugio positos per arrogantiam vituperauerit, anathema sit.

Dist. 30. Si quis propter Deum.

XI.

Si quis contemnendos duxerit agapen facientes, & propter honorem Dei fratres ad se pauperes conuocantes, & noluerit communicare uocationibus eorum, tamquam nihili quod fit ducens, anathema sit.

XII.

Si quis virorum putauerit sancto proposito, (id est continentiae) conuenire, ut pallio utatur, tamquam ex eo iustitiam habiturus, & reprehendat vel iudicet alios qui cum reuerentia birris utuntur & alia veste communi, quae in usu est, anathema sit.

Dist. 30. Si quis virorum.

XIII.

Si qua mulier, suo proposito utile iudicans ut virili veste utatur, ad hoc viri habitum imitatur, anathema sit.